

pia a scientia Beatorum, cum principia nostrae Theologiae sint propositiones fidei, quae non reperiuntur in scientia Beatorum. 3. Nostra et Beatorum Theologia non possunt esse in eodem subjecto, cum nostra sit obscura et inevidens, Beatorum vero sit clara et evidens, quae duo sese mutuo excludunt; ergo, &c.

Quaeres 13. *An Theologia nostra sit etiam sapientia?*

Resp. Affirm. Quia sapientia est cognitio rerum altissimarum per altissimas causas; atqui Theologia nostra est cognitio rerum altissimarum, nempe Dei rerumque divinarum, per altissimas causas, nempe per revelationem divinam, quae haud dubie est causa altissima; ergo.

Quaeres 14. *An Theologia sit scientia ordinis supernaturalis?*

Resp. Est scientia ordinis naturalis; quia ratio formalis specificativa Theologiae, nempe discursus per quem acquiritur, est mere naturalis, cum sit actus intellectus agentis secundum suam virtutem naturalem; ergo.

Nec. obstat quod Theologia habeat causam supernaturalem, nempe revelationem, siquidem revelatio est causa tantum remota Theologiae, ejus causa proxima est iudicium de connexionione, quam habet aliqua veritas cum articulo revelato, quod iudicium est merus foetus rationis illam connexionem per discursum apprehendentis; porro ordo, in quo est Theologia, non sumitur ex ejus causa remota supernaturali, sed ex ejus causa proxima, quae naturalis est.

DISSERTATIO II.

De locis Theologicis.

Quaeres 1. *Quid sint loci theologici?*

Resp. Sunt sedes, ac veluti promptuaria, ex quibus Theologia sua desumit argumenta.

Quaeres 2. *Quot sunt loci Theologici?*

Resp. Sunt decem praecipui: scilicet, *Scriptura sacra, traditio, auctoritas Patrum, Ecclesia Catholica, decreta summorum Pontificum, Concilia*, praesertim generalia, *auctoritas scholasticorum, rationis naturalis argumenta, philosophorum placita, humana ratio*. . . sex primi sunt interni, ex quibus Theologia certa desumit argumenta; sex ultimi sunt externi, ex quibus desumit argumenta duntaxat probabilia. De his omnibus, sequentibus capitibus.

CAPUT I.

De Scriptura Sacra.

Quaeres 1. *Quid est Scriptura sacra?*

Resp. Est, *Verbum Dei, ab auctore hagiographo, afflante Spiritu Sancto, scriptum, & ut tale ab Ecclesia nobis manifestatum.*

Quaeres 2. *Utrum Scripturae, quae nobis ab Ecclesia ut sacrae proponuntur, sint libri veri, prout verum opponitur supposito?*

Resp. Sunt libri veri, et non suppositi; quia illi libri, quovis Ecclesiae saeculo, adscripti sunt auctoribus, quorum nomen prae se ferunt, ut constat 1. ex infinitis Scripturae editionibus, quae, sub iisdem semper titulis, in lucem prodierunt. 2. Ex eo quod scriptores subsequentes, libros antea scriptos sub iisdem nominibus semper allegent: sic in novo Testamento citantur libri Moysis, Isaiae, Hieremiae, &c. 3. Ex primis Ecclesiae Patribus, qui libros novi Testamenti sub propriis nominibus referunt; ergo sunt libri veri.

Quaeres 3. *Libri veteris Testamenti, qui Bibliis continentur, suntne integri?*

Resp. Sunt integri quoad partes substantiales, id est,

quoad fidem et mores. Quia non fuerunt depravati a Judaeis, nec ante Christi adventum, neque enim eam eis depravationem objecerunt Christus et Apostoli; atqui tamen, *nusquam Dominus et Apostoli, qui caetera crimina arguunt in Scribis et Pharisaeis, de hoc crimine, quod erat maximum, reticissent*, inquit Div. Hieron. *in cap. 6 Isaiae*. Nec post Christi adventum, tum quia testimonia, quae a Christo et Apostolis ex veteri Testamento laudantur, omnia inveniuntur nunc in Moyse et Prophetis, ut ab illis citata sunt. . . . Tum quia praecipua de Christo vaticinia, eodem modo in nostris codicibus leguntur, quo in Judaicis. . . . tum quia tanta est Judaeorum religio erga libros sacros, ut scribat Philo Judaeus quemlibet Judaeum centies potius moriturum, quam ut pateretur legem in aliquo mutari.

Quaeres 4. *An textus originarius graecus novi Testamenti sit purus et integer?*

Resp. Est integer quoad partes substantiales: 1. Quia idem est apud sectas, alioquin sibi infensissimas. 2. Quia non tempus, nec auctores hujus depravationis citari possunt. 3. Quia nulla rationabilis hujusce depravationis suspicio potest subesse: nam si a Catholicis attentata fuisset, eam illis haeretici mox exprobrassent; si autem ab haereticis, Catholici statim reclamassent; ergo, &c.

Quaeres 5. *Utrum libri, qui Bibliis continentur, sint divinae auctoritatis, ac proinde infallibilis regula fidei?*

Resp. Affirm. Quia ab auctoribus sacris, ex speciali Spiritus Sancti afflatu sunt scripti, juxta illud 2. Petri 2. *Non voluntate humana allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.*

Quaeres 6. *Quis est auctor principalis Scripturae sacrae?*

Resp. Est Deus ipse, qui eam Prophetis et Apostolis, quasi dictando, inspiravit, *Ipsa scripsit*, inquit D.

Greg. in praefat. in Job, *qui et illius operis inspirator extiti.*

Quaeres 7. *Quinam fuerunt auctores Scripturae instrumentales?*

Resp. Fuerunt homines, quibus Deus ad scribendum usus est, juxta illud Apostoli, Hebr. 1. *Olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in filio.*

Quaeres 8. *Quomodo Deus scriptoribus sacris afflavit, quae scripserunt? an per simplicem approbationem eorum, quae humanitus scripserunt? an per specialem assistentiam? an per inspirationem?*

Resp. 1. Ad Scripturam sacram non sufficit simplex approbatio; alias Scriptura non esset Verbum Dei, quia non procederet de ore ejus. Unde cum Apostolus refert aliquas Poetarum sententias, eae non sunt Scripturae sacrae, prout dietae sunt a Poetis, sed prout scriptae sunt ab Apostolo ex inspiratione Spiritus Sancti.

Resp. 2. Nec sufficit specialis Spiritus Sancti assistentia, alias definitiones Conciliorum essent Scripturae sacrae.

Resp. 3. Nec requiritur in omnibus divina revelatio. Revelatio enim, est veritatis, antea ignotae, manifestatio a Deo facta; atqui non omnia, quae scripta sunt, antea scriptores sacri ignorabant; ergo.

Resp. 4. Requiritur et sufficit proprie dicta Spiritus Sancti inspiratio. *Non voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. . . .* Porro inspiratio, est incitatio quaedam interior, quo quis impeditur ad aliquid fixum et determinatum scribendum, sive antea fuerit notum, sive non.

Quaeres 9. *Quid est Scripturae sacrae canon?*

Resp. Est certus ac determinatus catalogus librorum, quos Ecclesia ut sacros recipit. Unde dicuntur libri canonici. Quod si aliquos non recipiat Ecclesia,

eo quod non certo constet eorum divinitas, dicuntur *apocryphi*.

Quaeres 10. *Quot libros complectitur canon Hebraeorum?*

Resp. Complectitur libros viginti duos; ut docet Josephus, *lib. 1 contra Appionem*. Quod si aliqui ex Patribus plures quam 22. enumerent, id contigit, quod nonnullos, ex iis quos Josephus recensuerat, in plures partes, quasi in plures libros diviserint.

Quaeres 11. *Quomodo Hebraei dividebant suum canonem?*

Resp. Dividebant in Legem, Prophetas, et Hagiographos.

Sub Lege includebantur 5. libri Moysis.

Sub Prophetis includebantur 8. libri, nempe 1. *Josue*. 2. *Judicum cum Ruth*. 3. *Samuel*, id est, liber 1. et 2. Regum. 4. *Melachim*, id est, 3. et 4. Regum. 5. *Isaias*. 9. *Hieremias cum Threnis*. 7. *Ezechiel*. 8. *Liber duodecim minorum Prophetarum*.

Sub Hagiographis reponebantur 9. libri, nempe, *Job*; *Psalterium Davidis*; *Proverbia Salomonis*; *Ecclesiastes*; *Cantica Canticorum*; *Daniel*; *Paralipomenon*; *Esdras*, et *Esther*.

Hinc, *Tobias*, *Judith*, *Baruch*, *Sapientia*, *Ecclesiasticus*, *primus et secundus Machabaeorum*, licet in magna veneratione fuerint apud Hebraeos, non tamen erant repositi in eorum canone.

Quaeres 12. *Quot, et quosnam libros in suo canone recipiat Ecclesia Catholica?*

Resp. Recipit libros 72. nimirum 45. veteris Testamenti, et 27. novi, quos postquam recensuit C. Trid. sess. 4. addit: *Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit, et traditiones praedictas sciens et prudens contempserit, anathema sit.*

Quaeres 13. *An canon sacrorum librorum mox laudatus, primum a C. Trid. fuerit conditus?*

Resp. Negative. Nam ab antiquissimo tempore in Ecclesia Dei fuit constitutus, ut declarat decretum Tridentinum. Ergo Patres Tridentini, ut suum canonem adornarent, accurate expenderunt traditionem Patrum et Conciliorum, quae praecesserant; deinde, facto illo examinae, definierunt, communem Patrum et Conciliorum traditionem ferre, libros omnes ab Apostolis, ac primitiva Ecclesia habitos fuisse pro canonicis, et eos ut tales ab omnibus suscipi debere statuerunt.

Quaeres 14. *Quomodo dividuntur libri canonici?*

Resp. Dividuntur 1. In Proto-canonicos, et Deuterocanonicos. *Proto-canonicis* sunt illi, qui semper et ab initio in canonem Ecclesiae fuerunt relati. . . . *Deuterocanonicis* sunt illi, qui ab initio in canonem Ecclesiae non fuerunt relati, eo quod aliqui catholici de eorum veritate dubitarent, quos tamen successu temporis Ecclesia, facto traditionis patrum examine, in suum canonem recepit.

Dividuntur 2. Ratione materiae, de qua tractant, in legales, historicos, sapientiales, et propheticos.

Quaeres 15. *Quot sunt libri legales veteris Testamenti?*

Resp. Sunt 5. libri Moysis, scilicet, *Genesis*, *Exodus*, *Leviticus*, *Numeri*, et *Deuteronomium*. Qui ex quinario numero vocantur *Pentateuchus*.

Quaeres 16. *Quot sunt libri historici veteris Testamenti?*

Resp. Sunt 17. nimirum, *Josue*, *Judicum*, *Ruth*, *quatuor Regum*, *duo Paralipomenon*, *duo Esdrae*, *Tobias*, *Judith*, *Esther*, *Job*, *duo Machabaeorum*.

Quaeres 17. *Quot sunt sapientiales veteris Testamenti?*

Resp. Sunt 5. scilicet, *Proverbia*, *Ecclesiastes*, *Cantica Canticorum*, *Sapientia*, *Ecclesiasticus*.

Quaeres 18. *Quot sunt libri Prophetici veteris Testamenti?*

Resp. Sunt libri conscripti a Prophetis, quorum 6. majores, scilicet, *David, Isaias, Hieremias, Baruch, Ezechiel, et Daniel.* Et 12. minores, nempe, *Oseas, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Micheas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggaeus, Zacharias, et Malachias.*

Quaeres 19. *Quot sunt libri legales novi Testamenti?*

Resp. Sunt quatuor Evangelia, secundum *Matthaeum, Marcum, Lucam, et Joannem.*

Quaeres 20. *Quot sunt libri historici novi Testamenti?*

Resp. Est unus, *Acta Apostolorum* dictus, quem scripsit *D. Lucas*, in quo mirandam Ecclesiae nascentis historiam, illiusque in omnes gentes propagationem per Apostolos, et praecipue per *Petrum et Paulum*, describit.

Quaeres 21. *Quot sunt libri sapientiales novi Testamenti?*

Resp. Sunt 21. nimirum 14. Epistolae *Div. Pauli*, et 7. Epistolae *Catholicae*, quae etiam dicuntur *Canonicae*, quarum *duae* *Petri*, *tres* *Joannis*, *una* *Jacobi*, et tandem *una* *Judae*.

Quaeres 22. *Quot sunt libri Prophetici novi Testamenti?*

Resp. Est unus, nempe, *Apocalypsis*, quem scripsit *Joannes* in exilio, quod passus est in insula *Pathmos*. Multa in eo praedicit, nimirum Ecclesiae persecutiones, et durissimas crudelitates sub execrabili *Antichristo*, et tandem gloriam futuram *Beatorum*. Quae omnia sunt tot aenigmatibus involuta, ut nemo hactenus clare potuerit exponere mysteria in *Apocalypsi* annuntiata: *Tot enim in ea sunt Sacramenta, quot verba*, ait *Div. Hieron.* *Epist. ad Paulinam.*

Quaeres 23. *Quosnam libros haeretici ex canone librorum sacrorum deleverunt?*

Resp. *Lutherani et Calvinistae*, omnes veteris Testa-

menti libros, qui in antiquo *Judaeorum* canone non reperiuntur, e *Scripturarum* canone deleverunt, sicut et *librum Esther*.

Quoad libros novi Testamenti, *Lutherani* e canone deleverunt *Epistolas Pauli ad Hebraeos, Jacobi, secundam Petri, secundam, et tertiam Joannis, et Apocalypsim*. Hos tamen libros admittunt *Calvinistae*, praeter *Epistolam ad Hebraeos*, quam etsi divinam eam esse fateantur, negant tamen esse *Paulinam*.

Quaeres 24. *Quo idiomate libri canonici primum conscripti fuerunt?*

Resp. 1. Juxta *D. Hieron.* libri veteris Testamenti *hebraica* lingua fuere conscripti, *exceptis* 1. libris *Danielis, Tobiae et Judith*, qui *chaldaice* primitus exarati fuerunt; *exceptis* 2. libris *Sapientiae*, et secundo *Machabaeorum*, qui, juxta eundem *D. Hieron.* in *Prologo Galeato*, *graece* fuerunt scripti.

Resp. 2. Omnes libri novi Testamenti *graece* editi sunt ab *Apostolis*, *exceptis* *Evangelio D. Matthaei*, et *Epistola ad Hebraeos*, qui *hebraice* fuerunt scripti, ut testantur *Div. Hieron.* et *Eusebius, Lib. 6. Histor. Cap. II.*

Quaeres 25. *An editio Hebraica Esdrae sit authentica?*

Nota: *Authenticum* est illud, quod est *indubitatae auctoritatis*, et in *judiciis* fidem facit.

Resp. Affirm. Nam *textus Hebraicus* tempore *Div. Hieronymi* erat *incorruptus* quoad *partes essentielles*, et *authenticus*, cum, juxta hunc *Textum*, *vetus Testamentum* *latine* interpretatus sit; atqui ille *textus* (ejusque *exemplaria*) semper fuit *custoditus*, et *conservatus* a *SS. Patribus*, et *Romanis Pontificibus*, et usque in *hodiernum diem* servatur in *Bibliotheca Vaticana*, et in aliis *Bibliothecis*; ergo &c.

Objicies: *Sola Vulgata* est declarata *authentica* a *Conc. Trident.* ergo, &c.

Resp. Est sola declarata authentica, per exclusionem aliarum versionum latinarum, *conc.*: per exclusionem editionum hebraicae et graecae germanarum, *nego ant.* neque enim Patres Tridentini fontium mentionem fecerunt.

Quaeres 26. *Quaenam versiones revocentur ad editionem hebraicam?*

Resp. Tres, scilicet *Samaritana*, quae non differt ab hebraica, nisi penes characteres. *Syriaca*, quae tempore Christi vocari solebat hebraea, quia Hebraei linguam syriacam sibi vulgarem fecerant; haec, qua Christus et Apostoli usi sunt, fuit semper summae auctoritatis. *Chaldaica*, quae potius paraphrasis est dicenda quam versio, et quae nullius est auctoritatis, cum Thalmudistarum fabulis sit conspersa.

Quaeres 27. *Quot sunt veteris Testamenti versiones graecae?*

Resp. Sunt variae, inter quas principem locum obtinet *Versio 70.* *Interpretum*: sic dicta, quia eam fecerunt 72. seniores Judaei, sex nimirum ex qualibet tribu, graece pariter et hebraice peritissimi, regnante Ptolomaeo Philadelpho Aegyptiorum Rege, qui ad Eleazarum summum Pontificem miserat, senioresque totidem petierat, qui sacros libros in graecum sermonem transferrent, in *Pharos* insula.

Quaeres 28. *Utrum versio 70. sit authentica?*

Resp. Affirm. Tum quia ea usa est olim, et etiam nunc utitur Ecclesia graeca; tum quia ea usi sunt Apostoli, cum vetus Testamentum in suis Epistolis ad gentes ad fidem conversas laudarunt. Hinc D. Irenaeus de hac versione loquens, *Lib. 3. cap. 15.* ait: *Per aspirationem Dei interpretatae sunt Scripturae.*

Quaeres 29. *Quot sunt utriusque Testamenti latinae versiones?*

Resp. Sunt variae, inter quas praecipuum locum tenet versio D. Hieronymi, quae *Vulgata* dicitur, et qua

nunc utuntur omnes Catholici occidentales. . . . Eam Concil. Tridentinum, *Sess. 4.* declaravit *authenticam*, hoc sensu, quod sit immunis ab omni errore *in his omnibus, quae ad fidem et mores spectant*, ut docet Canus, *lib. 2. de locis, cap. 13.*

Quaeres 30. *Utrum Concil. Tridentinum, Vulgatam declarando authenticam, eam praetulerit hebraicis et graecis fontibus?*

Resp. Negative: Quia Concilium Vulgatam nullo modo contulit cum fontibus, sed tantum praetulit ipsam variis versionibus latinis, quae circumferebantur: *Considerans*, inquit, *non parum utilitatis accedere posse Ecclesiae Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quae circumferuntur sacrorum librorum, quaenam pro authentica habenda sit, innotescat, statuit, &c.*

Quaeres 31. *Quandonam licitum sit recurrere ad fontes pro emendatione codicum latinorum?*

Resp. Licitum est 1. quando in codicibus nostris videtur esse error scribarum, aut librorum.

2. Quando latini codices variant, nec certo sciri potest, quaenam sit vera vulgatae lectio; ea enim tunc vera erit, quae fonti erit conformis.

3. Quando sententia in latino, est ambigua.

4. Licet recurrere ad fontes, ad proprietatem et energiam vocabulorum habendam.

Quaeres 32. *An Scriptura sacra in lingua vernacula translata, expediat omnibus?*

Resp. Negative: Quia licet in se optima, tamen ratione loci, temporis, et personarum, pluribus potest esse noxia; multi enim propter infirmitatem, ignorantiam, aut malitiam, plus ex ejusmodi lectione detrimenti, quam utilitatis haurire possent, ut *experimento manifestum est*, ait Conc. Trident. *Sess. 4.*

Quaeres 33. *An Ecclesia prohibuerit lectionem Scripturae sacrae in lingua vernacula translata?*

Resp. 1. Non prohibuit absolute; quia nullibi extat talis prohibitio generalis.

Resp. 2. Ecclesia justissimis de causis prohibuit, ne lectio Scripturae sacrae in lingua vulgari translatae omnibus indiscriminatim concedatur; sed *judicio Episcopi aut inquisitoris stetur, ut cum concilio Parochi aut Confessarii, Bibliorum a Catholicis auctoribus versorum, lectionem in vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerint ex ejusmodi lectione, non damnum, sed fidei atque pietatis augmentum capere posse, quam facultatem in scriptis habeant, &c.* Regula IV. *Conc. Trident.*

Quaeres 34. *Quid est sensus sacrae Scripturae?*

Resp. Est, genuina ejus significatio.

Quaeres 35. *Quotuplex est sensus sacrae Scripturae?*

Resp. Duplex, litteralis nempe et mysticus, seu spiritualis.

Sensus *litteralis*, est ille, quem verba, sive proprie, sive metaphorice accepta, immediate significant. Si verba proprie accipiuntur, sensus litteralis est proprius: si metaphorice, est metaphoricus.

Sensus *mysticus*, seu spiritualis, est ille, qui, non verbis ipsis, sed rebus per verba significatis, indicatur. Sic quod in Genesi litteraliter dicitur de duobus filiis Abrahae, Apostolus in sensu mystico exponit de duobus Testamentis.

Quaeres 36. *Quotuplex est sensus mysticus?*

Resp. Triplex, moralis nempe, allegoricus, et anagogicus. . . *Moralis*, est rei ad morum instructionem significatio, per aliam rem, Scripturae verbis immediate significatam. Unde est de rebus agendis. . . *Allegoricus*, est rei ad Christum et Ecclesiam militantem pertinentis significatio, per aliam rem Scripturae verbis immediate significatam. Hinc est de rebus credendis. . . *Anagogicus*, est rei ad Ecclesiam triumphantem pertinentis significatio, per aliam rem Scripturae verbis immediate significatam. Unde est de rebus sperandis.

Hi quatuor Scripturae sensus his versibus exprimuntur:

Littera gesta docet; quid credas allegoria;

Moralis quid agas; quo tendas anagogia.

Quaeres 37. *An sub iisdem Sacrae Scripturae verbis, multiplex aliquando reperiatursensus litteralis?*

Resp. Affirm. Sic illud Psalmi secundi, *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te*, Apostolus, *Hebr.* 1. exponit de generatione Christi aeterna, cui *Angelorum dixit, Filius meus es tu &c.* quod idem Apostolus, *Act.* 13. explicat de resurrectione Christi: *Resuscitans Jesum, sicut in Psalmo 2, scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te.*

Quaeres 38. *Ex quonam sacrae Scripturae sensu Theologia possit certa deducere argumenta?*

Resp. Ex solo sensu litterali, non autem ex mystico, nisi aut ab Ecclesia proponatur, aut Scripturae et traditionis auctoritate nitatur, aut ex ipsa textus sacri serie certo colligatur. Quia tunc certum est sensum mysticum a Spiritu Sancto fuisse intentum: talis est sensus, quem Apostolus, *1. Cor.* 9. ex his verbis *Deut.* 25. *Non alligabis os bovi trituranti*, eruit ad probandum ministris Evangelii deberi stipendia: *Numquid de bobus cura est Deo*, inquit, *an propter nos utique hoc dixit? nam propter nos scripta sunt.*

Quaeres 39. *Utrum in quolibet Scripturae textu, praeter sensum litteralem, contineatur aliquis sensus mysticus?*

Resp. Negative. Quia ut ait D. August. quaest. 2. super Genesim: *In quibusdam locis solus sensus litteralis quaerendus.* Quinam enim sensus mysticus in his verbis: *Non occides. Non furtum facies?*

Quaeres 40. *Utrum detur aliquis Scripturae textus, in quo non sit sensus litteralis, sed tantum spiritualis?*

Resp. Negative. Quia nullus assignatur textus, cujus

verba aliquid immediate non significant, sive proprie, sive improprie; atqui talis sensus est litteralis; ergo, &c.

Quaeres 41. *Quando idem textus videtur habere duos sensus contrarios et impossibiles, quomodo exponi debeat?*

Resp. Exponi debet juxta sequentes regulas.

I. Regula. Ille sensus est solus verus, qui a tota Ecclesia est receptus; sic hujus textus, *Pater major me est*, sensus totius Ecclesia est Filium non in omnibus, sed solum secundum humanitatem, esse Patre minorem.

II. Regula. Ille sensus est verus, qui magis cohaeret cum alio Scripturae sacrae loco, quomodo hic textus, *Pater major me est*, intellectus de minoritate Filii secundum humanitatem, cohaeret cum hoc alio textu: *Ego et Pater unum sumus*. Joann. 10.

III. Regula. Sensus SS. Patrum est tenendus, maxime si omnes, vel plures in eundem sensum consentiant.

IV. Regula. Ubi Patres circa sensum S. Scripturae dissentiant, liberum est cuique, quem probabiliorum judicat, sequi, modo illos sensus Ecclesia non respuat.

V. Regula. Quando uterque sensus est impossibilis, nec quis fuerit a Spiritu Sancto intentus cognosci potest, nec ex alio Scripturae loco, nec ex traditione Patrum, nec ex Conciliis, nec ex recursum ad fontes, tunc ille praefendus est, qui rationi naturali est conformior.

Quaeres 42. *Quid sit sensus accommodatitius?*

Resp. Est ille, quo ea quae litterali, aut mystico sensu, alia occasione, dicuntur in Scriptura, per quamdam extensionem ac similitudinem ad aliquid aliud applicantur. Hic sensus non habet auctoritatem divinam, cum nec immediate, nec mediate a Spiritu Sancto fuerit intentus; potest tamen admitti, cum eo Scriptura, Ecclesia, et Patres usi fuerint: sic quod Zach. 4. dicitur de Jesu Sacerdote, et Zorobabele Duce, S. Joannes Apoc. 2.

accommodat Enoch et Eliae, dicens: *Hi sunt duo Olivae.*

Quaeres 43. *Quaenam conditiones requiruntur, ut Scripturae adscribatur sensus accommodatitius?*

Resp. Quatuor.

I. Ut non astruatur, tanquam sensus litteralis aut mysticus.

II. Ut sensus falsus non attribuatur Scripturae per accommodationem.

III. Ut sensus accommodatitius ad res pias applicetur.

IV. Ut quando sacer scriptor dicit quidpiam factum esse, ut adimpleretur Scriptura, illud per accommodationem non accipiatur; sed vel sensu litterali, quando id secundum litteram fit, quod erat praedictum; vel mystico, quando figura, aut prophetia ipso eventu impletur.

CAPUT II.

De traditione et SS. Patribus traditionis testibus.

Quaeres 1. *Quid est traditio?*

Resp. Est doctrina ad fidem, mores, vel disciplinam Christianam spectans, quae in libris canonicis non est scripta, sed tantum aut in Conciliis, aut in Patribus, aut in unanimi Ecclesiarum consensu, conservatur.

Quaeres 2. *Quotuplex sit traditio?*

Resp. Triplex, nimirum 1. *Divina*, quae est verbum Dei non scriptum, sed ab Apostolis, quatenus verbi Dei praeconibus, ad nos, viva voce, transmissum. 2. *Apostolica*, quae est doctrina, quam Apostoli ipsi, quatenus Ecclesiae Pastores instituerunt, et ad nos viva voce transmiserunt; v. g. observatio diei Dominicæ, jejunii Quadragesimalis, &c. 3. *Ecclesiastica*, quae est doctrina, quae a successoribus Apostolorum, accedente fidelium usu, fuit introducta, et ad nos usque transmissa;

v. g. festorum celebrationes, aquae lustralis usus, &c.
 Quaeres 3. *Utrum extiterint tum in lege naturae, tum in lege Mosaica, divinae quaedam traditiones?*

Resp. 1. Extiterunt in lege naturae: nam Adamus filios suos docuit, quae sibi de mediatore Christo, et aliis mysteriis revelata fuerant; filii Adami, quae a Patre didicerant, suis posteris ad Moysen usque (non interrupta serie) communicarunt; ergo, &c.

Resp. 2. Extiterunt in Lege Mosaica: quia Israelitae ex sola traditione habebant divinitatem librorum in canone repositorum; remedium ad tollendum peccatum originale, non solum in femellis, sed etiam in masculis ante octavum diem decedentibus, &c. Hinc Genes. 13. dicitur: *Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi; majores tuos, et dicent tibi.*

Quaeres 4. *Utrum in lege nova necessario admittenda sit traditio divina, tanquam altera fidei regula?*

Resp. Affirm. Quia non omnia fidei dogmata continentur in verbo Dei scripto; v. g. quod libri in Scriptura sacra contenti, sint divini; quod Deipara, etiam post partum, virginitatem servaverit; quod valeat baptismus datus parvulis; quod valeat datus ab haereticis et peccatoribus; quod sint tantum quatuor Evangelia; quod Christus descenderit ad inferos, &c. Ergo ad haec omnia credenda necessaria est traditio. Hinc Apostolus Thessalonicensibus jubet, ut traditionibus firmiter adhaereant: *State, inquit Thessal. 2. c. 2. Et tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, scilicet ore prolatum, sive per Epistolam nostram.* Quem locum Div. Chrysostomus, *Hom. 4.* enarrans, ait: *Hinc patet, quod non omnia per Epistolam tradiderunt Apostoli, sed multa etiam sine litteris. Eadem vero fide digna sunt, tam illa, quam ista. . . traditio est, nihil quaeras amplius.*

Objicies. 1. Moyses *Deut. 4.* Apostolus *Galat. 1.* Div. Joannes *Apoc. ult.* Christus *Matth. 15.* prohibent usum traditionum, tum in fide, tum in moribus; ergo &c.

Resp. Nego ant. Nam 1. Moyses et D. Joannes prohibent tantum traditiones, quae sunt additio ad verbum Dei. *Non addetis, inquit Moyses, ad verbum quod ego praecipio vobis, nec auferetis ex eo.* Div. Joan. ait: *Si quis apposuerit ad haec, apponet et Deus super illum plagas.* At divinae traditiones non sunt additiones humanae ad verbum Dei, cum sint ipsummet verbum Dei, licet non scriptum; ergo. . . Praeterea vetant tantum, ne minuatur vel addatur aliquid, per quod textus alteretur, vel corrumpatur: alias illicitum fuisset Deuteronomio et Apocalypsi alios addere libros.

2. Apostolus quoque de traditionibus ad verbum Dei additis loquitur, nempe de traditione conjungendi legalia cum Evangelio, quae contraria erat doctrinae quam Paulus Galatas docuerat. *Miror, inquit, quod tam cito transferimini in aliud Evangelium. . . sed licet nos aut Angelus de coelo evangelizet, praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* In quo textu particula *praeter*, sumitur evidenter pro particula *contra*, sed traditiones divinae non sunt contrariae verbo Dei, cum et ipsae sint verbum Dei; ergo, &c.

3. Christus non loquitur de traditionibus divinis, sed de Pharisaeis, quae Dei Legi erant contrariae: *Irritum fecistis mandatum Dei, inquit, propter traditionem vestram.*

Objicies 2. Patres passim docent, omnes tum fidei, tum morum regulas Scripturis contineri. *In his quae aperte posita sunt in Scripturis, ait August. lib. 2 de doctrina Chris. cap. 9. inveniuntur illa omnia quae continent fidem, moresque vivendi; ergo.*

Resp. Patres iis in locis loqui de iis tantum fidei mysteriis, quorum explicita cognitio est ad salutem necessaria, et de communibus morum praeceptis, quae in Decalogo continentur: at non loquuntur de aliis omnibus mysteriis, nec de conclusionibus, quae ex Decalogo colligi debent; alias sibi contradiceret Div. August.

qui *lib. 1. contra Crescon. cap. 33.* dicit: *Scripturae veritatem a nobis teneri, quando facimus, quod universae Ecclesiae placet: etiamsi nihil de ea re scriptum legamus.*

Quaeres 5. *Quomodo traditiones divinae et apostolicae distinguuntur a traditione mere Ecclesiastica?*

Resp. In hoc distinguuntur, quod mere Ecclesiastica, cum post tempora Apostolorum emanarit, 1. non semper viguit, sed habet initium aut in decretis SS. Pontificum, aut in Conciliorum canonibus, aut in statutis Patrum. 2. Non ubique viguit, sed in una, aut in aliquibus tantum Ecclesiis particularibus reperitur et observatur. *Econtra*, divinae et apostolicae traditiones semper et ubique viguerunt, juxta hanc regulam ab Augustino *lib. 4. contra Donat. cap. 24.* traditam: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.*

Quaeres 6. *Quomodo traditiones divinae secerni possunt a traditionibus pure Apostolicis?*

Resp. Ad hoc vulgo traduntur quatuor regulae:

I. Reg. Si quod fidei dogma Patres concordissime tenuerint, ejusque contrarium, ut haeticum refutarint, nec tamen in Scripturis reperiatur; illud est traditionis divinae: quia omnia fidei dogmata habemus ex divina revelatione. Hujusmodi est perpetua virginitas Deiparae, etiam post partum.

II. Reg. Si quidquam est nunc in Ecclesia, communi fidelium consensione probatum, quod humanam excedit potestatem, illud est traditionis divinae. Talis est, v. g. praxis vota dissolvendi, juramenta relaxandi, &c.

III. Reg. Si SS. Patres unanimiter doceant aliquam traditionem esse divinam, tenenda est ut traditio divina, etiamsi illius materia non excedat potestatem Apostolorum et Ecclesiae. Secus si solum ut traditionem Apostolicam, vel Ecclesiasticam tradiderint. Ratio est, quia

unanimes Patrum consensus est fidei nostrae infallibilis regula.

IV. Reg. Quando aliqui Patres in hanc traditionem non consentiunt, judicandum est eam traditionem esse divinam, quae reperitur in praecipuis et apostolicis Ecclesiis, in quibus interrupta non fuit Episcoporum successio, qualis nunc est sola Ecclesia Romana.

Quaeres 7. *Quinam sunt traditionis testes?*

Resp. Sunt Patres, qui primis Ecclesiae temporibus sanctitate et doctrina ab Ecclesia recepta et approbata illustres, Christo filios genuerunt, genitos nutrierunt, ac in fide et communione catholica perstiterunt. Hinc in Patre Ecclesiae quatuor requiruntur, 1. Scientia eminentis ab Ecclesia recepta et approbata. 2. Eximia vitae sanctitas. 3. Perseverantia in fide et communione catholica. 4. Tandem antiquitas notabilis.

Quaeres 8. *Utrum unius aut alterius Patris de rebus divinis sententia, aliis tacentibus, firmum argumentum ministret?*

Resp. Negative: Quia nullus Pater de se est infallibilis, cum aliqui, etiam ex gravioribus, erraverint, etiam in eis, quae post deprehensa fuerunt pertinere ad fidem.

Quaeres 9. *Quale Theologo praebet argumentum plurium Patrum in unum dogma consensus, aliis ex altera parte, licet paucioribus, reclamantibus?*

Resp. Praebet argumentum probabile, sed non omnino certum.

Prob. prima pars: Quia probabilitas alicujus facti extrinseca, ex numero testium eruitur; ergo ubi plures sunt testes, ibi est magna probabilitas, quod veritatem fuerint assecuti, licet alii, numero pauciores, reclamant.

Prob. secunda pars: Quia cum plures Patres unum factum affirmant, aliis, licet numero paucioribus, reclamantibus, non certo constat ultra pars veritatem as-

serat; fieri enim potest, ut qui ex altera parte reclamant, assecuti fuerint germanum, aut Scripturae, aut traditionis sensum; ergo &c.

Quaeres 10. *Utrum unanims SS. Patrum in aliquo dogma consensus certissimum et infallibile praebet Theologo argumentum in iis, quae ad fidem et mores spectant?*

Resp. Affirm. Quia unanims ille consensus, certissimum est divinae traditionis testimonium; ergo certissimum et irrefragabile subministrat argumentum. *Hinc* 1. Conc. Nicaenum II. anat. 7. ait: *Qui doctrinas SS. Patrum, et traditionem Catholicae Ecclesiae contemnunt, execratio.* Ex quo patet doctrinam SS. Patrum, et Ecclesiae traditionem ita esse connexas, ut qui unam tentaverit labefactare, alterius quoque fidem concutiat, necesse sit. *Hinc* 2. Patres Chalcedonenses in definitione fidei sic clamant: *Haec est fides Patrum, omnes ita credimus.* Unde C. Trid. sess. 4. districte prohibet, *ne quis Scripturam, contra unanimes SS. Patrum sensum, audeat interpretari.*

Objicies: Singuli Patres sunt fallibiles; ergo et unanims Patrum consensus.

Res. Nego conseq. Etsi enim singuli labi possint, quia homines; omnes tamen simul errare non permittit Deus, quia unanims omnium consensus, est sensus Ecclesiae, ideoque et Spiritus Sancti Ecclesiam per Patres docentis. Unde eorum testimonium non est tunc humanum, cum sit Ecclesiae, et ideo Spiritus Sancti sensus.

Quaeres 11. *Quaenam servandae sunt cautiones in legendis, aut laudandis Patribus?*

Resp. 1. Considerandum est, *quo modo* scripserint; nam 1. si modo Theologico scripserunt, rigorosius; si vero modo oratorio, minus rigore eorum verba sunt accipienda; nam inter concionandum multa ex zelo hyperbolice dixerunt. 2. Si ex professo aliquam quaestionem tractaverint, accuratius locuti sunt.

2. Considerandum est, *quo tempore* scripserint; namque 1. Si ante exortas haereses materiae discussionem, minus accurate, quam postea scripserunt. . . . 2. Si ante Ecclesiae definitionem, potuerunt absque haereseos nota scribere, quae postea ab Ecclesia fuere damnata; et ideo nec Div. Cyprianus, nec alii Africani, re. baptizantium errorem propugnantes, fuerunt haeretici.

3. Considerandum est, *qua aetate* scripserint: quia aetate juniore multa scribuntur, quae aetate senili maturius examinata, vel gravius tractantur, vel omnino retractantur, ut constat ex libris Retractationum D. Augustini.

4. Considerandum est, qua occasione scripserint, saepius namque contigit, ut SS. Patres in refellendis quibusdam haeresibus, usi sint terminis, qui, in specie quidem, oppositis erroribus faverent; sed reipsa et secundum sensum, ab illis omnino different.

5. Cum agitur de aliquo dogmate, olim ab haereticis impugnato, illi Patres prae caeteris sunt consulendi et sequendi, quos ad has haereses debellandas Deus Ecclesiae suae, singulari beneficio, concessit: hinc ubi agitur de Christi divinitate, S. Athanasius; ubi de incarnatione, S. Cyrillus; ubi de praedest. et gratia, S. Augustinus caeteris omnibus sunt praeferendi.

CAPUT III.

De Ecclesia.

Quaeres: **Q**uid sit Ecclesia stricte sumpta?

Resp. Est, *coetus hominum viatorum, unius et ejusdem fidei Christianae professione, et eorumdem sacramentorum communionem adunatus, sub regimine legitimorum Pastorum, ac praecipue Romani Pontificis.* De omnibus quae ad Ecclesiam spectant agemus distinctis paragraphis.